



R.M.L. *P.*

227.



Életir. Qu.

~~257.~~



K
2005-2006

I M A G O

Fidelis Servi

Ac

Veri qualem esse decet Ecclesiae
E P I S C O P I

In Exemplari suo

Singulari Viro

Clarissimo dum viveret ac Celeberrimo

DOMINO

MICHAELE TOFÆO

S. S. Theol. Doctore nostrâ in gente primo, Ecclesiarum
in Transylvania Reformatarum Episcopo, ac ibidem Celsis-
simo Principi à Sacris disertissimo &c. Fatorum inclementiâ,
notabili Ecclesiarum, Aulae Principalis, Patriae totius
ACADEMIAE DAMNO, humanis rebus exempto.

Orbi exhibita

CLAUDE SAMUELE Szathm. NEMETHI uno Rectorum Coll. Reform.
Claud. Cui, quum ob morbum quo statò funerationis die, singulari iudicio
Dei, lecto affixus erat, mandato Celsissimi Principis, & votis conjuncto-
rum Defuncti satisfacere non licuit, in explendo sermone vivo Oratoris
unere, ad supplendum solemnem illius actûs defectum, insimul extremum
Defuncti honorem, eternamque magni illius Nominis memoriam, publi-
cationem qualiscunquè hujus opella, luce publicâ aliâs haud digna,
suâsio multorum & pragnans hortatio
extorsit.

CLAUDIOPOLI,

Impressit Michael Némethi A. D. M D C L X X X I V



I M A G O

Fidelis Servi

Ac

Veri qualem esse decet Ecclesiæ

E P I S C O P I

In Exemplari suo

Singulari Viro

Clarissimo dum viveret ac Celeberrimo

DOMINO

MICHAELE TOFÆO

S. S. Theol. Doctore nostrâ in gente primò, Ecclesiarum in Transylvania Reformatarum Episcopo, ac ibidem Celsissimo Principi à Sacris disertissimo &c. Fatorum inclementiâ, notabili Ecclesiarum, Aulæ Principalis, Patriæ totius *ACADEMIA* damno, humanis rebus exempto.

ACADEMIA NYVTARA

Orbi exhibita

A SAMUELE Szathm. NEMETHI uno Rectorum Coll. Reform. Claud. Cui, quum ob morbum quo stato funerationis die, singulari iudicio Dei, lecto affixus erat, mandato Celsissimi Principis, & votis conjunctorum Defuncti satisfacere non licuit, in explendo sermone vivo Oratoris unere, ad supplendum solemnem illius actûs defectum, insimul extremum Defuncti honorem, æternamque magni illius Nominis memoriam, publicationem qualiscunque huius opella, luce publicâ aliâs haud digna, *svásó multorum & pragnans hortatio*

extorsit.

Er *G. 27* *B. 27*
CLAUDIOPOLI, *Annae 1734*



RBIS TRAN-
SYLVANICI LV-
MEN GENTIS NOSTRÆ
DEUS, TUTAMEN, PATRIÆ
ROBUR ac COLUMEN, PRINCEPS
VIRTUTUM TUARUM GLORIA ILLUSTRISIME.

Illustres Regi Proceres, consiliis belli paciq; Inclyti He-
roes, inscripti Patria Patres.

Venerandi Diœcesium hoc in Regno divisarum Seniores,
Ecclesiarum Antistites, Collegiorum Doctores, Colum-
na Domûs Dei, ac in regno Iesu Lumina & Faces.

Piè Defuncti Conjunx. Liberi, Generi, Affines, Ne-
cessarii, lamentabili hoc casu plurimum affecti.

Omnium deniq; graduum & ordinum Auditores ho-
noratissimi.



Quoties importunæ hujus tragœdiæ quâ ludere religio ju-
bet, animum subit memoria: quoties pullata hæc paren-
tantiû & justâ beatis Manibus liberaliter solventiû, obversatur
mihi frequentia: quoties repetita lamentantium affectus in
me cident, ac ad indolendum non parùm urgent suspiria:
quoties intempesti de more lugentium turbant ac bilem mo-
vent clamores; & effusæ anhelo ex pectore quiritationes, votis
adhuc & desideriorum igne calentes: quoties feralem hanc
urnam, justâ cum indignatione contemplandam animo si-
mul

mul & oculis objicio, atq; magnum illum *Spiritum*, magnùm
illum *Theaurum*, magnum illud *Lumen*, cujus robori feren-
do horizon noster vix sufficiebat, angustia tenebrarum ejus
coarctari deprehendo, nescio! quid ex improvise pati vide-
or, & occulto vulnere teneritudinem affectûs mei sauciatam,
tantoq; exacerbata dolore experior; ut ejus vim gliscentem-
què ignem, angustos intra præcordiorum cancellos alere po-
tis non sim, quin erumpat, & cum impetu vim faciat, quin co-
me cogat, ut ejus fractum pondere & exanimatum, stupore
quodam defixû teneat, ac impotentis animi deliquio obruat,
in quo vix mei compos, indignabundus vociferer, querar,
& cum stomacho detester inauditam Fatorum inclementiam,
detester spumantem invidiæ sortis rabiem, detester inexplabi-
lem fœdæ mortis libidinem; & simul cum tremore suspiciam
candentem adeò irati Numinis furorem, cujus æstus popula-
triciis instar flammæ, fomite vel oleo forsan sedatæ, nova in
quævis momenta capit incrementa, novisque vim suam pro-
bat nocuentis.

Quid enim? siccine singulare illud cœli depositum ter-
ris invidendum erat? siccine usuram boni illius Superiorum
indultu concessam nobis, invidiam cœlo & litem suscitare de-
cebat? siccine rarû illud Divinæ dignationis cimmeliû, pro-
digalitati diræ necis impendendum erat, ut quod justo æsti-
mari satis nequibat pretio, gratis illi & absque debitâ com-
pensatione meriti, in rapinam cederet? siccine cœlestes illas
dotes, quibus *pia hæc Mens*, ceu Sol inter sydera, aurum inter
metalla eminuit, inclementiæ Fatorum immolari oportebat?
siccine devotam illam *Animam* cui votis ardentibus adver-
sum Numen placare, ac cœlos exorare solemne fuit, inexora-

Bili mortis libidini in victimam dari fas erat? sicine ipsum divini Numinis *Sacrarium*, singulari curâ Spiritûs S. cultum & ornatum, ipsa devotionis *Ara*, in qua multorum incinerabantur victimæ & vota, funditus convelli, ac igne furoris Dei in extremum pulverem cogi debebat? Scilicet, exquisito hoc vulnere in Ecclesiam, in Patriam, in ipsum *dextra Dei Virum* sævire oportuit, quasi compendium doloris non aliunde expectari, quam à dispendio immisericordis hujus feritatis potuisset: quasi emeritus in militiâ Christi *Athleta* & triumphis asvetus *Pugil*, post certissima fidelitatis impensiq; laboris sui documeta, exauctorari ac brabeo fraudari meruisset: quasi *Fulcrum* domûs Dei, in conclamato hoc regni Dei statu ad extremum festinante casum, novercâ manu subduci, ac inde sequens totius machinæ ruina procurari debuisset: quasi Virtutibus omne genus, lucē gratam ac fortiter operantem de se fundentibus, vis adimi, ac in ipso meridiei cursu potenter sequaquaversû explicans Solis fulgor, occidua nube fuscari, & Oceano tenebrarum mergi, debuisset.

Sed, quid in cassum sollicitum fatigo animum, æterna non penetrantem consilia, nec occultas intrare valentem divinæ rectionis vias? quid acerbæ nihil tamen profecturæ lugendi indulgeo libidini? cum ejulatu muliebri non egeratur virorum dolor; nec malorum prementium sensus planctibus levetur: quid dolore fatiscentem linguâ exanimo, & truncata singultibus verba inconditè repeto? quid impatienti murmure Superos læcēsere, & Fata invidia ac asperitatis insimulare pergo? ut ut enim justo dolori nullus sit modus, qui quo adultior eo contumacior, & ut pauco tempore nescius temperari sic impatiens ordinari; duxerim tamen longe latius

tius, inevitabiles necessitatis casus æquo ferre animo & resolutio, ac id quod ullo dolorû nisu vitari nequit, quantum potè patientiâ facilitare, quam impatientis animi imbecillitate gravare & grandius illi pondus addere. Suos ergo in limites justum componamus dolorem tranquillâ ratione temperatum, nec ultra statos prudentiæ divinæq; legis cancellos evagari patiamur; sed quod religio, quod extrema in defunctos pietas, quod indolens in fatis aliorum debitæ charitatis teneritudo flagitant, supremo defungamur officio, & novissimo manes *pie Defuncti* maeremus honore: ne virtutes & præclara Herois nostri facinora, simul cum istis humani corporis parietinis, mox terræ communi omnium matri commendandis, ingrata tumulet oblivio, vel silentii voret pelagus. Nihil enim majus magnis laboribus & Virtutibus rependi potest gratâ memoriâ, quâ mercede, brutalitatis & extremæ inhumanitatis est, fraudare Viros magnos ac bene de Ecclesia bonoq; publico meritos. Quorum in ordine fuisse nostrum, *Clarissimum* dum viveret ac *Celeberrimum* D. MICHAELI TOFÆVM, inficias ibit opinor nemo, certior enim singularis ejus tum eruditionis, tum ingeniosi acuminis, tum miræ dexteritatis, tum muneris dignè adjuncti *Episcopalis*, atq; in eo laboris fama, in omnium ore volitat; quam ut ulla cuiquam de iis ambigendi reliqua sit ansa. Miserum ergo me & infœlicem! quod qui nunquam dicendo valui, quem natura Oratoré non finxit, merita tanti Herois digne exequi nequeam, et eorum luci tenebras magis offundere, quam vividiores foenerari radios valeam. Infortunatum etiam (si fas sit dicere) *pie Defunctum*, quod dignum non sit nactus Virtutum suarum Præconem, licet ingenuum æstimatorem.

Et quis dignus foret? quum dicendū sit super eo, qui omni dignissimus laude, omne laudum & encomiorum excessit culmen, dicendum super eo, de quo tacere præstat, quam perfunctoriè & pauca tantum dicere; dicendum tamen aliquid est, et id quidem, quod et augustæ huic fræquentiæ, et merito honori *Defuncti*, & votis conjunctorū ejus satisfaciatur. Quam in rem nihil fore satius existimavi, quam ut in personā *Nostræ*, brevibus lineamentis depictam darem: *Imaginem fidelis servi, ac veri qualem esse decet Ecclesiæ Episcopi*. Cujus quidem argumenti Altum, cum ob meam tenuitatem, tum ob temporis ad meditandum concessi brevitatem, solutis hâc tempestate velis attigi posse haud sperem; ideoq; si modo litus absq; naufragio radere, Ethesius patientiæ & humanitatis vestræ adjuto mihi contingat, erit, de quo mihi gratuler, & quod in magnam fortunæ & fœlicitatis meæ partē, reponam.

Singulare mundi ornamentum ac unicum decus, in quo quicquid speciositatis ac elegantiæ habet Orbis, concentratur & brevem in synopsis componitur, est illa *hereditas* & portio Dei, in qua *regnum* sibi, & in eo thronum erigere placuit divinæ bonitati: quippe cujus intuitu & vasta hæc moles condita, ac ex nihilo potenti jussu vocata est, & absq; quâ, post subjectum vanitatis servitio mundum, & terram in vanum formatam, & in vanum creatos fuisse hominum filios oporteret; quod tamen nec gloria, nec perfectio operum Dei, ferre possunt. Uti autem regnum illud, nec externâ speciositate ac pompâ, vel adspectabili claritate innotescit, nec externis gaudet privilegiis & immunitatibus, nec ad formam regnorum mundi administratur; sed internum est in spiritibus, & modo spirituali per veritatis testimonium geritur, ejusq; intel-

intelligentiâ & receptione occupatur: ita si cui certa functio hoc in regno obtingat, si cui ministeriales sub imperio Regis Summi demandentur partes, opere sui muneris, indoli hujus regni satisfaciatur necesse est, ut scilicet, spirituum qui propriè regno Dei hospitium præbent, sedulus sit custos, sit pastor, imo parens; qui omnem in formandis illis & ad amissim excolendis adhibeat operam, omnes intendat nervos, omnem impendat sufficientiam. Quæ uti dignissima omnium, ita certè non vulgaris ars est, ut enim *Gregorius* inquit: *Ars est artium regimen animarum*, nam quum propriæ vix satis præfidere possimus animæ, quum priorum vix satis dominemur affectuum inordinantiæ; quum proprio oneri ferendo, reddendâq; pro nobis ipsis rationi, vix ac ne vix quidem sufficiamus, an non quæso arduus & improbus labor est, aliorum & plurium quidem, centenorum imò millium sæpius, curare animas, affectus moderari, portare onera, eorumq; debita & offensas in nostras transcribere rationes? Unde jure dictum censeo: *Regimē Ecclesiarum onus esse Angelicis quoq; humeris formidandum*. Si enim vastum illud pelagus, in quo variis cum fluctibus hâc in statione colluctandum est, iis qui ad clavum sedent Ecclesiæ, jactâ bolide metiaris, deprehendes faciliè, excedere spheram activitatis humanæ, quo minus procellosum illud, syrtis inter & charybdes constitutum iter, fœlici cursu, absq; ullo sui vel fidei, suæ commissorū dispendio, emetiri quis possit. Quod ipsum æquâ lance pensitatem Moisen, incomparabilem cætera tum Prophetam, tum insignem masculâ generositate Dynasten, tum etiam Deo singulariter familiarem, ad declinandum & solennis ad Parthonem legationis munus, & regiminis populi Israelitici onus, induxit

ac ad sublime loquentis Dei imperium, cunctantem non parum & hæsitantem, speciosos justæ exultationi suæ prætextus obtendere fecit, eouq; ut post singulares etiã divinæ assistentiæ pollicitationes, & præsentissima ejusdem in opere prodigioso experimenta, facto non semel periculo, se jubenti Deo subducere vellet; imo eo tandem egit, ut laborum pertæsus ac molestiarum, quas in Ducatu refractarii illius populi devorare coactus est, precibus apud Deum intercederet pro morte suâ, pro terrestri quod gestabat tabernaculi dissolutione, reddendoq; pulvere origini suæ, ne diutius onere functionis suæ gravaretur. Extra eum, Divus ille gentium Doctor, multo cum timore & tremore ministerium suum obivisse docet: rem stupendam! electum illud Dei vas, utile illud incrementi regni Jesu organum, maximo certè novi temporis miraculo, in ipso æstuantis animi furore, subitâ metamorphosi, servicio Christi quem statim cum rabie persequeretur mancipatum, ejusq; legatione dignatum, cujus institutioni cælum ipsum patuerat, cui singularis spiritûs mensura celsa, contremiscens horret, ne in curâ spirituum eorumq; pastu, imprudenter erret, vel aliquo saltem defectu laboret. Quanto æquius homunciones alii, variis obsessi infirmitatû agminibus, nec tanto gratiæ Dei thesauro dignati, quibus vel propria ipsorum cura justum incutit terrorè, solliciti esse possunt & debent, ne dum Pastores audiunt, dispendium faciant animarum, easq; vel rapiant ipsi, vel dentibus objiciant aliorum.

Quis itaq; dignè exequendo muneri tanto idoneus? quis spartâ hâc pro merito ornandâ dignus? quis emetiendo hâc in palestrâ cursui, ac publicâ hâc in arenâ peragendo cum palmâ conflictui aptus? Is modo, cujus in-

ptitudi-

ptitudini Divina opitulatur sufficientia, is, cujus inhabilitas divinâ excitatur & aptatur gratiâ, is, cujus tenuitas Spiritûs animatur robore ac potentiâ. Quum enim ex nobis tanquam ex nobis, inhabiles simus & inepti, Spiritûs nos format obstetricatio & singularis cura, & ubi humana deficit virtus, ubi humanum frangitur robur nec ultra assurgere potis est, divina venit in subsidium virtus, excitans & animans, ut suum obire quis possit servitiû. Id autem ad implendum *fidelis Servi*, & providi in domo Dei œconomi numerum, præ cæteris facit, ut imprimis propriæ studiosus sit conscientiæ, ejusq; jugi intentus cultui: uti enim fundamentum pietatis bona est conscientia, ita certe fundamentum ministerialis officii, sincera & ad lumen divinæ legis polita est conscientia. Conscientia est, quæ in arduo ministerii opere, omne fert punctum: Conscientia est, quæ in augustâ regni Dei fabricâ, integram sustinet molem, ac ut vulgo ajunt, proram constituit ac puppiam. Conscientia est, quæ in sulcando adversitatum ministerio agminatim occurrentium æquore, ad clavum sedet carinæ ipsa Dei manu compacta: Conscientia est, à cujus nutu & imperio tota pendet animarum cura & directio; neglectâ enim illâ vel contumaciter excusâ, non secus quam excusso de puppi nauclero, totam navim violento fluctuum impetu quassatam mergi, vel aciei scopulorum impactam naufragio frangi oportet. Nam uti cymba gubernaculi usu destituta, inordinata est moles, incertis oberrans passibus, usquequo extremum subeat periculum: uti corpus vitali non animatum spiritu, nec san-

B

gvinis

gvinis vegetatum motu, foedum est cadaver: uti membra oculorum luce carentia, coeca sunt tenebrae: ita profecto vacuus studio conscientiae animus, moles est sine usu, cadaver sine vita, corpus sine luce: cui proinde aliorum ferre curam, aliorum animare spiritum, aliorum augere lucem, non magis possibile est; quam à cadavere vitam, à tenebris mutuari lucem. Ex adverso, qui suae studiosus conscientiae, omnes in ejus cultu intendit nervos, nae is munitae insistit viae, planaeque rem suam committit semitae, absque mandris & anfractibus ducendi recta ad expositam fidelis ministerii metam, quam assequi, alteram veluti *Corinthum* adire, non cuivis contingit mortalium. Etenim qui praesidio bonae fultus est conscientiae, non potest non esse conscius strictae quam habet obligationis suae, non potest non eorum esse conscius, quid Deo Principali suo, quid sibi, quid caeteris fidei suae commissis debeat, quae cum sterilis & effoeta non possit esse conscientia, scaturiunt inde tanquam ex divite venae, ac cum impetu erumpunt, dulces illi virtutum rivuli, quorum usu & exercitio ad ingenuum *Pastoris* & *Episcopi* nomen ferendum opus est: manat enim inde ac sicut cum furto bullit, assiduam pietatem comitata, suoque se pede metiri docta *humilitas*, decenti gravitate temperata *mansuetudo*, *lenitas*, magna certe virtus & rara, rariore quo altiores quis conscendit honorum gradus; summè tamen necessaria, iis maximè, qui ad exemplum *Pastoris Summi*, cum majestate humilis, mansueti, praesse gregi tenentur; quippe quorum statione nihil magis indignum est,

est, quam adversa huic virtuti elatio, fastus, supercilium. Eodem ex fonte manat, sollicita aedificationis aliorum, promotionis in veritate ac cultu pietatis cura, quae cynosura, quae summa votorum, quod centrum ex quo omnes vitae lineas ducat, esse cuique debet in agendo *Ministerij* opere, ut nullis parcens laboribus, nullis fractus corporis vel animi molestiis, nullis territus impedimentis, omnem applicet facultatem, omnem devincat industriam, mentibus aliorum formandis, usu rerum divinarum eligandis, pietati sacraeque devotioni dicandis: in quo potissimum veritur *Pastoratus* cardo, ne scilicet, inanibus tantum modo speculationibus, fucatis sermonum coloribus, nudis verborum deprædicationibus, animos deprædemur, ne captivos agamus, nec externae modo scientiae gnaros faciamus; sed ipsius conscientiae emolumento consulamus, fidemque illi, vividam pietatem, & constantem officiorum spiritualium praxin ingeneremus, ut lucem foeneremur aliis; sed cum calore vim suam potenter exerente, ignem suscitemus; sed cum luce foris se prodeunte, oculos demus; sed cum manibus efficaciter operantibus. Cui quidem instituto cum fructu exequendo, servilem praestant operam, tum inculcata *Episcopi* Ecclesiae vita, compositique ejus & ad amussin divinae legis, severiore limae castigati gestus, in exemplum sancti, lernae scelerum, & quorumlibet peccatorum contagio facile plebem corrumpenti, ex diametro objecti, eoque incentivum aliis addentes & calcar: tum frequens sermonis & cum nativae quidem simplicitate, cum demonstratione spiri-

tūs ac potentia, ac veritatis ad omnem conscientiam mā-
nifestatione facta promulgatio, cujus tanquam fœcundi
seminis, efficax est in agro Dēi operatio, & uber proven-
tus: tūm familiaris rudiorum institutio, puerorum sus-
tentatio, infirmorum sublevatio, cœcorum illuminatio,
lapsorum erectio, egenorum succursus & promotio: &
ut verbo dicam, prudens illa, non cum pædagogicâ au-
ctōritate & severo rigore iuncta austeritas; sed cum man-
suetudine & paterno affectu cuiusq; statui facta accomoda-
tio, cujus facilitate stimulentur animi, ad currendum ala-
crius, & latâ virtutum segete, laboribus Operariū cum
fœnore respondendum: quod & gloriæ & gaudii ansam
cuiq; iure præbet, si modo operam non in vanum loca-
tam viderit, ac aliquem sudoris proventum usurpaverit.

Et hæc quidem idea est & *Imago fidelis servi, ac veri
qualem esse decet Ecclesie Episcopi*, tumultuario opere, ma-
nu festinante delineata: Cui, an *Archetypus & Exemplar* un-
de illam pinximus respondeat, id iudicare, & propriæ
arti commendationem addere, mihi operis Auctori, nec
fas est, nec convenit, tuo id qui ambigis, & sinistrâ ca-
ptus opinione & opus & Auctorem forsân despicias,
committo lubens æstimio. Intuere (candidis tamen o-
culis) & *Exemplar* & pictam quam tibi offero *Imaginem*,
& vivis coloribus, ordinatisq; lineamentorum ductibus *il-
lud* in hæc effigiari, accuratâ similitudine & consonâ uni-
formitate exprimi, nī spes me ludat, assequeris; ita qui-
dem ut *hanc* intuenti, non possit non *illius* aptè satis re-
presentati subire cogitatio. Quo, tamen nec mihi mea-
que ar-

que arti placere, nec ulli ansam calumniandi ministrare,
nec in pios *Defuncti* manes injurius esse volo, quominus
ingenuè fatear, deesse non nihil integræ perfectioni ope-
ris, quod aliquam differitatem & ablusionem *Imaginis* à
suo *Exemplari* pariat. Quis enim est vel tam simplex vel
malignus? qui non intelligat, naves quorum hæreses
sumus, defectus quos naturâ ex utero trahimus, imper-
fectiones quas nascentes a vitum tanquam patrimonium
adimus, errores quibus toto vitæ tractu incurabiliter la-
boramus, imperfectiones quarum agmine circumvallati
suspiramus, impedire cunctos, in implendâ omnibus nu-
meris & gradibus *fidelis servi ac veri qualem esse decet Ec-
clesie Episcopi* menturâ, impedire cunctos, in ornandâ absq;
omni defectu provinciâ, tenendâq; absq; ullâ cæspitatione
& casu statione suâ? Sed infucata si adsit conscientia sin-
ceritas, affectio pura, candor animi, & fidele partibus
suis defungendi studium, compensari iis defectum om-
nem, & maculas intercurrentesq; naves expungi. Num
igitur comuni hominum conditioni statâ lege ipsis adju-
dicatæ, subducere se se potuisset *Noster*? num Angeli-
cam in humanâ imperfectione assequi perfectionem & in-
nocentiam? num indemnem in tantâ corruptione seculi
ducere vitam? num integrè absq; ullo hiatu muneris sui
implere mensuram? num omnium votis satisfacere, om-
nium genium & libidinem studio placendi exsatiare?
Quis obsecro mortalium, vel hæc ipsi affingere, vel iure
ab ipso exigere, vel ob carentiam horum mordere illum
& damnare audeat? nisi stipes plane & truncus, imme-

mor humanæ conditionis nulli non adnatæ, suæq; quam nunquam non experitur vanitatis & impotentia. Non ergo *Nostrum* Angelicis cœquamus mentibus, humanæ fragilitatis prorsus expertibus, non ultra sphæram publicæ omnium, mulierem matrem habentium fortis evehimus, non in tanto perfectionis gradu, quo vitæ hujus assurgere nequit imperfectio, statuimus; nihilominus tamen, quum & Sol interdum notetur eclipfibus, & aurum quantumvis præstans reliquis non careat scoriis & recrementis vilioribus, & vinum generosum licet, non destitatur fecibus, & triticum mixtum sit paleis, non ideo tamen eorum abstinemus usu, non eorum delibamus præstantiæ, nec ullam rem bonam, ob adherentes nævos statim abjicimus: veneramur certè magnum illum thesaurum, magnam illam lucem, magnas illas virtutes, quibus *pia* hæc *Mens* cœlitus dignata, omne nævis & defectibus si quos habuit, decedere jussit pondus, eorumq; tenebras luce virtutum quibus abundavit, digne reformavit: veneramur beatos *tanti Viri* manes, quippe quem singularibus Spiritus S. dotibus instructum, ac ab eodem in Templum suum quod specialius ornaret, in Ministrum cui non vulgaria concrederet; electum fuisse cuiq; notius est; quam ut ampliori egeat præconio.

Dotes enim ejus si scruteris, sive vivacitatem divini plane ingenii, sive subactum & acre judicium, sive acumen inventionum, sive inexhaustum memoriæ æqvior, sive incomparabilem in loquendo venustatem, sive famulantium rapiditati lingvæ affectuum promptitudinem, sive deniq; miram in agendo dexteritatem expendas, naturam, omnem in ejus formatione & cultu exeruisse artem, ac omne in unum hunc contulisse decus, facile deprehen-

des; ut jure de talifœtu gratularetur sibi, imò miraretur, & vix sibi persuadere quiret, talem se peperisse, qui naturam suâ corrigebat industria, & qui eam Matrem licet, multis exsuperabat parafangis. Vitam ejus si perconteris, de natalibus, educatione, & cæteris privata vitæ fortunis, audies illum cui major rerum istarum cognitio est. Annos vitæ ejus, si à dotibus & copiâ talentorum recensueris, ex seculis cre des esse conflatos, si à tempore, sexagesimum vitæ annum, venerandæ canitie tempus attingit. Functionem si rogaveris, *Servus* fuit Christi, primum quidem in Ecclesiis Hungariæ non incelebribus, dein per viginti retro annos, in Aulâ Principali, Dei gratiâ hodiè florentissimâ, & simul Ecclesiarum in Transylvania Reformatarum Episcopus, per quinquennium. Integro autem ætatis suæ cursu, quo sacro functus est ministerio, *fidellem* illum & in domo sua noctes diesq; excubantem *Servum* reperit Dominus. Quid enim aliud monstrabat ardor ille & zelus cœlestibus flagrans ignibus? Quid heroicus ille in scrutandis rebus divinis, quibus totum se devoverat impetus? Quid singularis ille precum spiritus, quas pro Ecclesiæ publicæq; rei incolumitate fundebat, tanto cum fervore ut ipsum expugnare videretur cœlum? Quid illa suspiria, quæ in dies exprimebat illi, assiduum gloriæ Dei studium, ac gliscentis sensim impietatis & nequitia detestatio? indoluit quippe, in foedâ deliræ mentis suæ crapulâ, ab ætatis capite ad senilem usq; torporem securos stertere plerosq; mortalium; indoluit, multos protractum inconsiderantiæ somnum, à primâ vitæ aurorâ, ad seram usq; noctis ducere tempestatem, eoq; in accensum divinæ ultionis ignem coniectam Gentem nostram, periisse jam dudum & perire adhuc. Quid illa querela, quas ob carnalem in Christianitate securitatem, & profusam nomen tantum Christiani mi mentitorum dissolutionem fundebat? Quid illa vota, religione calentis animi suscitata, quæ ad offensam totius Patriæ expandam, ad pacem gratiamq; Dei indignitati nostræ demerendam concipiebat? Quid illa sollicitudo, quæ jugiter pro Ecclesiarum in tantum discrimen adductarum incolumitate, animum ejus urebat? Quid illa cura & anxietas, qua semper torquebatur, pro lapsio S. Ministerii honore, jacentibus humi Ecclesiæ rebus, abalienatis quorundam avaritiâ ejus redivitibus? Quid illa contentio, quâ omni nisu desperatis rebus Ecclesiæ medicam manum admove-

re, ac ceptum sacrilego ausu Ministerio honorem, reddere satagebat.
Quæ & summa votorum ejus, & spes omnium ac expectatio de ipso
erat, implenda omnino, nisi immensi semper hæcenus rancorem se-
cissent difficultatum vortices. Unde eadem de illo, quum de Viro
in Episcopum eligendo deliberaretur, fuit omnium sententia, quæ
olim Theodosii Augusti de B. Ambrosio, de quo dixisse fertur;
*Se neminem nosse, qui vero sciret personam Episcopi sustinere, præter illum Medio-
lanensem:* & ita omnium occupaverat affectus, spes, amores, ut tum
à summo Procerum regni hujus Senatu, tum à Generali Fratrum sy-
nodo, solus huic Provinciæ pro merito ornandæ aptus judicaretur,
ac delectis mox suffragiis, Episcopus denunciaretur: cujus dum ferret
honorem, singulare muneri suo ornamentum, ac ordini Sac. Mini-
sterii decus addidit, magnâ sui tum auctoritate quâ pollebat, tum a-
gendi facultate quâ excelebat.

Jacentem proinde in ipso habemus Ministerii honorem, decus
auctoritatem! Jacentem in ipso habes, *Unice orbis nostri Atlas, Princeps
gloriosè, DEO cuiusq; commendatissime,* rutilum Illustrissimæ domûs
tuæ splendorem! Jacentem alterum *Mosen,* zeloregni Dei ad ex-
tremam consumptionem sui ardentem, alterum *Eliam,* virtute præ-
cipuum claudentem cœlos & aperientem! Jacentem magnum Evan-
gelii Præconem, eloquio gravem, disertum, (face esse livor) incom-
parabilem. *Elos Principum & Spiritus, spes nostra. Amor noster, Vota nostra.*
Domine clementissime! Jacentem habes tuum si Fata siverent *Gamalielem,*
te cum *Paulo* vias Dei penitiùs erudiantem, tuum *Samuelem,* te cum
Schaule officii in hac Majestate Principali (quam Dei gratia, & co-
muni populi tui voto feliciter nactus es) commonefacientem, tu-
um *Jacobum,* præsentiscentem jam Fatorum extremam vim, ante so-
lennia Inaugurationis tuæ, singulari voto Deo te & Patria commen-
dantem! Jacentem habes *Illustrissima domus Principalis, Aula florentissima,*
celeberrimum tuum in veritate Doctorem, spiritualem tuum Suscepto-
rem, Patrem, Deo te formantem, pietati ac castæ religioni unice
devoentem! Jacentem habes *Patria,* tuum Speculatorem, pro pa-
ce & florenti rerum tuarum cursu, continuâ inquietudine excuban-
tem! Jacentem habes *Domus Dei* sexcentis crucibus exercita, Columnam te sustinen-
tem! Jacentem habes *S. MINISTERIUM* invictum Pugilem, pro tuo honore, obverso
pectore acriter dimicantem! Jacentem habetis *CONJUNCTI DEFUNCTI, VXOR, LIBERI,
GENERI,* felicitatis vestræ Solem! Jacentem & ipse habet morbis confectam & exani-
matam corporis fabricam; singularium tamen Virtutum; variorum in Ecclesiam me-
ritorum, magniq; Nominis sui memoriam, jacentem habebit nunquam.

Dixi.


Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



re, ac ereptum sacrilego ausu Ministerio honorem, reddere satagebat.
 Quæ & summa votorum ejus, & spes omnium ac expectatio de ipso
 erat, implenda omnino, nisi immensi semper hactenus minoram te-
 cissent difficultatum vortices. Unde eadem de illo, quum de Viro
 in Episcopum eligendo deliberaretur, fuit omnium sententia, quæ
 olim Theodosii Augusti de B. Ambrosio, de quo dixisse fertur;
Se neminem nosse, qui vero sciret personam Episcopi sustinere, præter illum Medio-
lanensem: & ita omnium occupaverat affectus, spes, amores, ut tum
 à summo Procerum regni hujus Senatu, tum à Generali Fratrum sy-
 nodo, solus huic Provinciæ pro merito ornandæ aptus judicaretur,
 ac delectis mox suffragiis, Episcopus denunciaretur: cujus dum ferret
 honorem, singulare muneri suo ornamentum, ac ordini Sac. Mini-
 sterii decus addidit, magnâ sui tum auctoritate quâ pollebat, tum a-
 gendi facultate quâ excelebat.

Jacentem proinde in ipso habemus Ministerii honorem, decus
 auctoritatem! Jacentem in ipso habes, *Unice orbis nostri Atlas, Princeps*
gloriosè, DEO tuisquæ commendatissime, rutilum Illustrissimæ domus
 tuæ splendorem! Jacentem alterum *Mosen,* zeloregni Dei ad ex-
 tremam consumptionem sui ardentem, alterum *Eliam,* virtute præ-
 cium claudentem cœlos & aperientem! Jacentem magnum Evar-
 gelii Præconem, eloquio gravem, disertum, (face esse livor) incom-
 parabilem, *Elos Principum & Spiritum, spes nostra, Amor noster, Vota nostra*
Domine clementissime! Jacentem habes tuum si Fata sivistent *Gamalielem,*
 te cum *Paulo* vias Dei penitus erudientem, tuum *Samuelem,* te cum
Schaule officii in hac Majestâte Principali (quam Dei gratia, & co-
 muni populi tui voto foeliciter nactus es) commonefacientem, tu-
 um *Jacobum,* præsentiscentem jam Fatorum extremam vim, ante so-
 lennia Inaugurationis tuæ, singulari voto Deo te & Patriæ commen-
 dantem! Jacentem habes *Illustrissimæ domus Principalis, Aula florentissima,*
 celebrem tuum in veritate Doctorem, spiritualem tuum Suscepto-
 rem, Patrem, Deo te formantem, pietati ac castæ religioni unice
 devoentem! Jacentem habes *Patria,* tuum Speculatorem, pro pa-
 ce & florenti reum tuarum cursu, continuâ inquietudine excuban-
 tem! Jacentem habes *Domus Dei* sexcentis crucibus exercita, Columnam te sustinen-
 tem! Jacentem habes *S. MINISTERIUM* invictum Pugilem, pro tuo honore, obver-
 sare pectore acriter dimicantem! Jacentem habetis *CONJUNCTI DEFUNCTI, VXOR, LIBERI,*
GENERI, foelicitatis vestræ Solem! Jacentem & ipse habet morbis confectam & exani-
 mâtam corporis fabricam; singularium tamen Virtutum; variorum in Ecclesiâ me-
 ritorum, magniq; Nominis sui memoriam, jacentem habebat nunquam.

Dixi.

